



**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

V. Disputatio cum infidelibus, an & quomodo licita sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

Suarez num. 9. Castro Palao num. 19. & alij communiter.

124 *An ha prohibitiones intelligantur in ordine ad omnes Paganos.*
Dubitatur primò, an ha prohibitiones intelligantur solum in ordine ad Iudæos, an verò in ordine ad omnes Paganos. Affirmant aliqui, quos affect Sanchez num. 25. & Castro Palao num. 18. Alij dicunt comprehendere saltem Sarracenos, non verò Ethnicos, seu gentiles: ita Suarez num. 10. tum quia iura saepe expriment Sarracenos simul cum Iudæis: tum quia eadem videtur esse de illis ratio, cum non minus sint hostes Christianæ religionis; nec minus sit eorum familiaritas perniciosa. Alij melius negant comprehendere alios infideles, nisi in iis casibus, in quibus exprimuntur: Ita Sanchez, & Castro Palao locis citatis, Hurtado §. 40. & alij. Nam lex pœnalis non debet ad alios in ea non comprehensos extendi: & quia peculiaris est ratio in Iudæis, qui acerbiores sunt hostes Christianæ religionis, & magis solliciti de propagatione suæ sectæ, atque adeo magis perniciosa est eorum communicatio. Denique quando lex voluit Sarracenos, vel alios Paganos comprehendere, illos etiam expressit: quare dum exprimit solos Iudæos, de aliis non censetur curare. Addit Castro Palao in duobus solis casibus, expressos fuisse alios, nempe non famulari Iudæis, & Sarracenis, & non præficere Iudæum, vel Paganum publicis officiis. Sed certe sunt & alij casus, in quibus alij præter Iudæos exprimuntur, v. gr. in cap. Iudæi secundo de Iudæis, ubi prohibetur habitare cum Iudæis, & Sarracenis. Item in bullis supra citatis Pontificum, prohibetur vocari medicum Iudæi, vel infideles, & ipsi prohibentur venire ad agrotos Christianos. Item in cap. in eos de hereticis, prohibentur clerici aliquid testamenti relinquere Iudæis, vel aliis non Catholicis: oportet ergo singulas prohibitiones examinare, & videre, an soli Iudæi nominentur, an etiam Sarraceni, an denique omnes alij Pagani vel infideles.

125 *An transgressio huiusmodi sit gravis.*
Dubitatur secundò, an transgressio horum legum sit gravis an solum peccatum veniale. Negant aliqui esse gravem, quando nec est periculum subversionis, nec dignitas Christiani nominis in aliquo minuitur, quæ sunt rationes illarum prohibitionum, quas refert Sanchez ubi supra num. 26. & probabile putat Hurtado §. 39. saltem in aliquibus casibus. Ipse verò Sanchez dicit non excusari à mortali, quæ quasi continuam conversationem, vel nimiam familiaritatem inducunt, ac fidei dignitati derogant, ut cohabitatione cum Iudæis, famulari illis domesticè in quibusvis ministeriis, eos in officiis publicis tolerare. At reliqua excusare à mortali, quando deest contemptus, & subversionis periculum, ac scandalum, saltem si addit aliqua causa iusta, vel ex incuria sit transgressio: excipi tamen eum azy-morum Iudæi, qui semper est mortalis extra necessitatis casum.

126 Hanc sententiam nimis laxam iudicat Suarez, num. 6. & 9. dicens has prohibitiones tam ex materia, quam ex fine esse graves, & obligare sub mortali ex genere suo, quamvis ex leuitate materia possit transgressio interdum esse venialis: cui consentit Castro Palao num. 17. dicens esse per se mortalia omnia illa, quæ in hac materia iure communi prohibentur. Quod ex genere suo mihi etiam verum videtur: nam vocare medicum Iudæum sine necessitate gravissimè

prohibetur in bullis Pontificum, quem tamen casum non numerat Sanchez in iis, quæ sunt peccata gratia: quare immeritò à Castro Palao affectur idem Sanchez tanquam exprimens casum illum de Medico, inter eos, qui obligant sub mortali: id enim non inuenio saltem in eo loco, in quo citatur. Ratio etiam est optima, quam insinuat Suarez illo num. 6. quia si prohibitio legis vniuersalis est, non cessat obligatio in particulari, etiam si finis legis negatiuè tantum in tali persona cesset: quæ ratio maiorem vim habet in casu præfenti, quia non cessat in totum ratio legis, ex eo quod aliquis se firmum in fide reputet, & ideo putet non sibi imminere periculum peruerfionis: multi enim se tales reputant, qui postea in ipsa occasione periclitantur. Alioquin possent etiam libros hereticorum legere, qui se firmos reputant in fide, nec timent periculum peruerfionis: quod tamen Sanchez non concedet, & merito, quia lex iuste id prohibet omnibus, propter periculum, quod imminet multis, si possent licitè eos libros legere quicumque antea nihil sibi periculi timent. Idem autem cū proportionem est de quolibet alio genere communicationis, & familiaritatis, cum Iudæis, & Paganis, quæ iuste poterit omnibus prohiberi propter periculum generale, quod aliqui verè poterunt subire, si omnes, qui nihil timent, possent cum illis conuersari. Si ergo lex aliquid vniuersaliter omnibus prohibeat in eo genere, obseruandum est ab omnibus, licet videantur sibi à periculo tuti, exceptis sepe iis, quibus incumbit cura conuertendi infideles; in quibus finis legis cessat non solum negatiuè, sed etiam contrariè, ut notauit idem Suarez illo n. 6.

Hoc loco tractat late Hurtado dicta diff. 7. 6. sect. 3. de prohibita armorum delatione ad infideles. Hoc tamen pertinet ad materiam de censuris, in expositione Bullæ cœnæ, ubi latè à Doctoribus explicatur, nec enim oportet omnia, quæ vbi libet circa infideles tractantur, reducere ad tractatum de fide, qui hac occasione cresceret in immensum. Quia etiam de causa omitto questionem, quam late tractat idem Hurtado ibidem sect. 4. de communicatione licita cum infidelibus in bello, nimirum quando liceat illos in bello adiuuare, vel ab illis ad bellum adiuuari, quod pertinet magis ad tractatum de bello.

127 *De prohibita armorum delatione ad infideles, remissum.*

SECTIO V.

Disputatio cum infidelibus, an, & quomodo licita sit.

Hoc etiam pertinet ad communicationem cum infidelibus prohibitam, & commune est omnibus infidelibus, tam Iudæis, & Paganis quam etiam hæreticis. Potest autem prohibitio hæc provenire aliquando ex iure naturæ, aliquando ex iure positivo humano. Notant autem aliqui, duplicem esse disputationem, alteram formalem, alteram quasi materiale: disputatio formalis dicitur, quando fit ad convincendum aduersarium, & persuadendum ei, quod ipse negat esse verum: materialis verò dicitur, quando uterque idem credit, sed tamen exercèdi ingenij causa, & ut dici solet, disputationis gratia, impugnatur conclusio de fide animo tamen catholico. De hac itaque disputatione materiali circa res fidei

128

Disputatio alia formalis, alia quasi materialis.

fidei non est prohibitio aliqua iuris positiui, sed solum in ea seruari debent conditiones, quas ratio naturalis dicitur, & quas attigit grauius Suarez *presenti disp. 20. sect. 1. num. 1.* qui bene aduertit, non debere procedere ex dubitatione disputantis, nam dubium ipsum in rebus fidei pertineret ad hæresim, vt dictum est in superioribus. Non est etiam permittendum, vt etiam disputationis gratia proponantur defendendæ assertiones contra fidem, vel etiam erroneæ, imò nec improbabilis; tum quia doctrina assertio- num, eo ipso asserti, & affirmari videtur; tum etiam quia ad nihil id deseruit, nisi vt paulatim afficiantur auditores ad doctrinam, quæ defen- di potest.

129 Non est tamen putandum, disputationes om- nes fidelium cum fidelibus esse solum materia- les; imò enim ferè semper sunt formales, quia raro disputatur de veritate dogmatis fidei; sed de rebus partim philosophicis, partim etiam Theologicis, sed quæ in opinione versantur, & in quibus disputantes singuli trahere conantur ad suam sententiam aduersarios; quod proprium est formalis disputationis. Hæc tamen non est prop- riè disputatio de rebus fidei, atque adeo non censetur prohibita iis, quibus de rebus fidei di- sputare prohibetur: est enim hæc disputatio de conclusionibus aliis, quæ ex fide probabiliter de- ducuntur, vel de ratione diuersa, quæ fidei dog- mata, vel probari, vel defendi possunt: circa quem probandi, aut defendendi modum possunt diuer- se esse sententiæ apud Catholicos alioquin in fi- de ipsa, & dogmate quolibet consentientes.

130 Loquendo ergo de disputatione formali circa res fidei, certum est apud omnes, eam ex se lici- tam esse posse, vt cum S. Thoma *in presenti disp. 10. art. 7.* docent omnes Theologi, & probat latè Suarez *disp. 20. sect. 1. num. 3.* & sequentibus: Colligitur autem ex Scriptura ad Titum 1. vbi dicitur, Episcopum oportere esse amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermo- nem, vt possit eos, qui contradicunt arguere; & ex 1. Petri cap. 3 vbi omnibus fidelibus loquens di- cit: Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe, sed cum modestia: vbi in Græco legitur, para- ti semper ad Apologiam; & apud Fulgentium le- gitur, ad responsionem, & Actuum 6. surrexe- runt disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientia, & spiritui, qui loquebatur & cap. 17. Paulus diserebat de scripturis secun- dum consuetudinem, & infra: disputabat in Synagoga cum Iudeis: & passim reperiuntur exem- pla sanctorum Patrum, qui voce, & scriptis dis- putarunt contra gentiles, & hæreticos, iuxta il- lud Augustini præceptum epist. 48. cum hæreticis verbis etiam agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum. Quod ipse Augustinus opere præstitit, vt constat ex eius disputationibus con- tra hæreticos variis, & eruditis, quæ in 6. & 7. tomo operum ipsius continentur. Denique hoc ipsum necessarium est ad conuincendum hæreti- cos, ad confirmandos Catholicos, ad fidem ip- sam persuadendam, quæ ex auditu concipitur, nec potest prodenter admitti, nisi propositis mo- tiuis, & argumentis euidentis credibilitatis, at- que adeo dissolutis contrariis argumentis quæ omnia disputatione indigent: videatur ultra alios Valentia *in presenti disp. 1. quest. 10. puncto 4.*

Huic certissimæ doctrinæ videtur ob stare lex nemo Cod. de sum. Trinit. vbi dicitur, nemo Cle- ricus, vel militaris, vel aliter cuiuslibet con- ditionis, de fide Christiana publicè turbis con- uentis, & audientibus, trahere conetur in pos- tulum ex hoc tumultus, & perfidia occasione re- quirens. Ad quam tamen legem, Azor tom. 1. lib. 8. capite 26. quest. 2. & Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 6. num. 8. respondent, cum sit lex merè ciui- lis, non potuisse obligationem in hac materia inducere. Sed ceterè S. Thomas dicto art. 7. in 2. argumento supponit legem illam esse per sacros canones confirmatam, & Suarez vbi supra n. 7. in fine, non sine fundamento putat legem illam editam fuisse ab Imperatore Martino, consensu, vel etiam horratu Leonis Papæ, vt colligi videtur ex epist. 48. aliàs 50. Leonis ad ipsum Martinum in illis verbis, in eam fidem, quam Evangelicis, & Apostolicis prædicationibus declaratam, per antiquos Patres nostros accepimus (nulla penitus disputatione cuiusquam retractationis admissa) omnium corda concurrant, ne per vanam subla- cemque versutiam, aut infirmam videantur, aut du- bia, quæ in Christo firmata sunt, & sine fine man- sura. Melius ergo S. Thomas vbi supra respondet, ibi solum prohiberi disputationem, quæ procedit ex dubitatione fidei, non autem illam, quæ est ad fidei confirmationem. Qui sensus colligitur satis ex verbis proximè subsequenibus eiusdem le- gis: nam & iniuriam facit iudicio Reuerendissima Synodi, si quis semel indicata ac rectè disposita re- uoluere, & publicè disputare contenderit. & in- fra reddit aliam similem rationem, quia non solum contra fidem verè expositam veniunt, sed etiam Iudeis & Pagani: ex huiusmodi certamine profanant veneranda mysteria. Ex quibus verbis constat solum prohiberi ibi, vt dixit S. Thomas disputationem, quæ ex dubitatione procedit, & quæ in quæstionem, & dubium reuocatur; ac no- uo examini subiciatur id, quod à Conciliis sta- bilitum est. Non ergo prohibetur disputatio, quæ ordinatur ad confirmandam fidem, eamque incredulis persuadendam. Alia Scripturæ, & Pa- trum loca obici solent, quæ tamen non substantiam disputationis improbant, sed defectus alio- quos, qui eam possunt reddere vitiosam, vt ex di- cendis constabit.

Sunt ergo necessariæ conditiones aliquæ ad disputationis honestatem. Prima est, quod dispu- tans ita sit in fide firmus, & constans, vt non sub- eat periculum dubitandi ea occasione de rebus fidei, alioquin non se debet ingerere, ne forte dum alios lucrari intendit, ipse miserè corruat. Secunda est, vt sit doctus, quantum ad id mun- dis sustinendum requiritur; ad quod consideran- dæ sunt vires aduersariorum: minus enim requi- ritur ad disputandum cum heretico simplici, & imperito, quam cum docto, erudito, & sagaci, quales hodie in Hollandia & Gallia reperiuntur non pauci. Alioquin disputatio cederet in contem- ptum fidei, & periculum auditorum. Notat au- tem Coninch *disp. 1. 8. n. 141.* sufficientiam hanc plerumque non tam meritiendam ex maiori do- ctrina, quam ex praxi & viu, ac facilitate sese ex- plicandi ad caprum audientium.

Tertia conditio est ex parte illius, cum quo disputatur, vt scilicet talis sit, cui speretur proba- tura disputatio: sunt enim hæretici plures, qui non ex ignorantia, sed ex malitia errant, nec cor- rigi cupiunt, & cum iis regulariter est illicita di- sputatio.

sputatio, vt notat Coninch *num. 143.* Suarez *n. 113.* & alij. Nam tunc disputatio erit non solum otiosa, sed etiam scandalosa, quatenus sine utilitate præbetur occasio hæretico committendi noua peccata in ipsa disputatione, & obstinata defensione proprii erroris. In quo sensu intelliguntur verba Pauli ad Titum 3. *hæreticum hominem post unam & secundam correptionem denita, sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est, cum sit proprio iudicio damnatus.* vbi Chrysostomus homil. 6. dicit: *hoc de illo monet, qui corrigi non vult, quem insanabili morbo detineri videris.* Addit autem, non esse facile desperandum, sed expectandum patienter: & ab illis solis, inquit, discendum est, de quibus aperta possumus ferre sententiam, certique sumus, quod quantalibet faciamus, eos nunquam ad veritatis viam reuocabimus. Imò eo etiam in casu non est damnanda disputatio, si fructus speretur in auditoribus, qui vel conuertentur, si hæretici sint, vel in fide solidiores manebunt, si erant Catholici, vel certe hæretici timidiore fierent, nec ita insolenter insultabant, vt dixit Bernard. sermone 64. in Cantic. *et si hæreticus non surgat ex face, Ecclesia tamen confirmatur in fide.* His autem conditionibus cessantibus, & spe fructus ablata, disputatio fugienda est: & in eo sensu intelligi debent Gelasius Papa in communitario ad Faustum dicens, *nobis nullum fuit esse inire certamen cum hominibus communicationis aliena, dicente Apostolo hæreticum hominem,* &c. Et Augustinus contra Faustum c. 12. dicens: *non disputationem amant hæretici, sed quoquo modo superare impudentissima pertinacia, vt congregent, que non pepererunt.* & Auctor imperfecti in Matth. sub nomine Chrysostomi homil. 12. dicens: *Audi homo fidelis, qui contra hæreticum libenter contendis, si Pharisei illi non sunt, tu certando contra hæreticum poteris eum placare, cum quæris?* Ex hoc tamen ipso exemplo constat, non semper disputationes omittendas, eo quod hæretici conuertendi non sint, cum & ipse Christus frequenter publice cum Phariseis disputauerit, qui ob suam pertinaciam conuertendi non erant: proderat tamen disputatio illa ad eorum confusionem, & vt alij conuerterentur, vel in fide confirmarentur. Vide alia similia loca Patrum apud Suarez *n. 3.*

134
Quarta conditio est ex parte auditorum, ne forte illis nocere possit disputatio audita, quod magis cauendum est, quando non sunt docti, vel ita perspicaces, vt rationes nostræ fidei callere possint, sed simplices, & rudes, qui aliis in fide quieti debebant, & fieri facile potest vt argumentis contra fidem commoueantur non ita facile solutionis vim capientes, vel certe turbati incipiant, cogitantes posse in dubium reuocari ea, de quibus antea nunquam dubitauerunt, qui primus gradus est ad hæreses introducendas, atque adeo omni ratione cauendus: si tamen simplices illi iam ab hæreticis sollicitarentur, & timeri potest, ne ab iis deciperentur, oportet coram ipsis disputare, ne silentium nostrum meliorem fortasse apud plebem reddat hæreticorum causam, & quia videbunt saltem non deesse nobis rationes ad tuendam fidem, licet ipsi eas non omnino percipiant. Ad quod facit illud Gregorij in Pastoralis part. 2. cap. 4. *sicut incerta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium, eos qui erudiri poterant in errore relinquit.* Aduerte tamen cum Hurtado *dicta disp. 74. §. 39.* non esse

constituendos iudices disputationis, & controuersæ auditores Laicos, qui nullo modo de rebus fidei iudicare possunt. Nec obstat apud August. *tom. 1. in breuiculo* referri disputationem habitam coram Tribuno, & aliis ex edicto Constantini Imperatoris, illi enim non erant iudices disputationis, sed imperiali auctoritate aderant ad continendos in officio securusque reddendos disputantes, & vt fideliter argumenta, atque responsa describerentur.

Quinta conditio exigitur ex parte modi, vt appareat in disputante modestia, sincerus veritatis amor, sine contentione, sine iniuriis, emulatione, vt non minus moribus, quam rationibus aduersarios vincamus, quod optime probat S. Thom. vbi supra ex illo Pauli 2. ad Timoth. 2. *noli contendere verbis, ad nihil vile est, nisi ad subuersionem audientium;* cui consonat illud eiusdem Pauli 1. ad Corint. 2. *si quis videtur esse contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, sed neque Ecclesia Dei:* & in eodem sensu refertur Silinij sententia apud Socratem lib. 5. histor. cap. 10. *disceptantes non solum nos reconciliare schismata, sed potius hæreticos ad contentionem magis accendere.* Quod maxime locum habet, quando contumelia adgiscuntur, quia vt dixit Chrysostomus dicta homil. 6. in 2. ad Timoth. vt verbum fructificet, oportet vt alter gratè audiat, gratè autem affici eum, qui iniuriis afficitur, vix contingere potest: de quo videri etiam potest Epistola Constantini Imperatoris apud Eusebium in eius vita, lib. 2. & Nicephorum lib. 8. cap. 13.

Potissima conditio requisita de iure positivo Ecclesiastico est, vt disputans non sit laicus, vt habetur in cap. 2. §. *inhibemus* de hæreticis in 6. his verbis. *inhibemus quoque, ne cuiquam laica persona liceat publice, vel priuatim de fide Catholica disputare; qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Quam excommunicationem notant communiter Doctores non incurrì ipso facto, sed post sententiam, vt colligitur ex illo verbo, *innodetur*: id tamen sufficit, vt præceptum obliget sub peccato mortali: nam pro solo veniali non posset excommunicatio maior imponi. Aduerte etiam, intelligi non de disputatione materiali, sed de formali, vt supra diximus, in qua disputantes dissident circa fidei veritatem, vt cum Caietano notauit etiam Hurtado *vbi supra §. 20.* qñ bene etiam aduertit, non habere locum hanc prohibitionem, quando consentiunt circa fidei veritatem, & disputatur solum de ratione Theologica, ad eam confirmandam, vel ad eam explicandam, quia hoc non est de fide disputare. Magis dubitari posset, quando disputatur, an res aliqua sit, vel non sit de fide, prout sæpe inter Theologos disputari solet: tunc enim videtur esse disputatio de ipsa fide. Ceterum si reuera opiniones sint probabiles apud Catholicos circa hoc ipsum, aliis asserentibus, aliis negantibus id esse de fide, non credo comprehendì sub hac prohibitionem, in qua solum videtur laicis prohiberi disputatio de rebus fidei certis, & exploratis, non de rebus fidei dubiis, quod etiam ex Caietano significat Coninch *vbi supra num. 146.* dicens, prohiberi solum disputationem susceptam aduersus eos, qui in fide errant, in prædicto autem casu, neuter videtur errare in fide: & ita videtur vsu comparatum, cum passim discipuli Theologi, qui adhuc clerici non sunt, sed meri laici, de

135
Quinta conditio.

136
Potissima conditio est, vt disputans non sit laicus.

iis questionibus publicè disputent. Quorum disputatio non possit excusari, eo quod non sit formalis, sed solum materialis: nam reuera est formalis, vt supra monui, cum sit sententiarum diuersitas, & disputans intendat aduersario id neganti persuadere rem illam esse de fide, quod tamen ille alter omnino negat.

137

Qui intelligatur nomine laicorum.

Circa hanc prohibitionem quaeritur primò, qui intelligantur nomine laicorum. Certum est, non comprehendi clericos etiam primæ tonsuræ, quandiu clericatus statum retinent. Peccabunt tamen ij contra ius naturale, si absque doctrina sufficienti, vel aliis debitis conditionibus, sese ad disputandum ingerant. Certum etiam est, non comprehendi religiosos, qui simul ordines habent, saltem primam tonsuram: neque enim ij sunt laici. Dubium est de religiosis, qui nullum ordinem, nec primam tonsuram habent. Multi dicunt, eos non comprehendi nomine laicorum in hac prohibitione. Ita Sanchez dicto cap. 6. num. 6. Castro Palao dicto tract. 4. disp. 2. punct. 4. num. 4. & probabile ac tutum dicit Suarez ubi supra num. 10. licet videatur in contrarium inclinare quoad eos religiosos, qui in suis ordinibus laici appellantur. Affertur etiam pro eadem sententia adud Castrum Palaum. P. Coninch num. 145. qui tamen contrarium docet illo loco, quoad religiosos laicos, his verbis: *Nota sub pena excommunicationis ferenda, prohiberi omnibus laicis, (quales sunt omnes ij, qui non gaudent privilegio clericali, id est etiam Religiosi, qui non ad studia, sed ad opera domestica destinantur) ne cum hæreticis de fide disputent.*

138

Religiosi laici an comprehendantur nomine laicorum.

Alij ergo de iis Religiosis laicis dicunt comprehendere lege illa nomine laicorum, ita Coninch proxime citatus, & inclinat Suarez vt vidimus, & acriter Hurtado ubi supra §. 2. durioribus in religiosos laicos inuectus verbis, quos quidem non debemus despiciere: sed magis tamen credo eos hac prohibitione comprehendere: tum quia verè & in rigore sunt laici: tum quia ratio eadem in illis procedit, nempe carentia sufficientis doctrinæ ad disputandum necessariam. Alia est ratio de illis, qui ex vi suæ professionis ad studia, & ordines sacros destinantur: ij enim licet adhuc ordinibus careant, possunt tamen clerici appellari quatenus iam ex sua professione ad clerum spectant, atque ita nec Hurtado, nec alij dixerunt eos hac lege comprehendere; habent enim ex genere suo, & ratione status doctrinam requisitam, quæ si alicui in particulari desit, is siue primam tonsuram habeat, siue non habeat, lege naturali à disputando arcetur.

139

An laicus doctus possit licitè disputare cum hæreticis.

Secundò quaeritur, an laicus doctus possit licitè disputare cum hæreticis. Affirmant aliqui, Caietanus, Bañs, Petrus de Ledesma, quos affert & sequitur Hurtado ubi supra §. 24. & sequentibus, & probabile fatetur Sanchez dicto cap. 6. num. 5. fundamentum est, quia in eo cessat tota ratio legis proxima, & remota, nempe periculum disputantis, & Auditorum, ac etiam ne cedat in contemptum fidei.

Alij tamen melius id negant. Suarez ubi supra num. 11. cum alijs relatis Sanchez dicto num. 5. Coninch ubi supra num. 145. Valentia, Azor, & alij, quos affert & sequitur Castro Palao ubi supra num. 4. Fundamentum præcipuum est, quia reuera non cessat tota ratio legis: nam, vt sæpè diximus in alijs casibus similibus, si unusquisque laicus maneat iudex sui ipsius in hac materia,

plures iudicabunt se habere doctrinam sufficientem ad disputandum: sumus enim faciles ad despiciendos alios, & ad gloriosè de nobis sentendum: vnde eadem inconuenientia sequeretur, ad quæ vitanda poruit rationabiliter id laicis omnibus prohiberi; quia communiter loquendo, laici non sunt docti in iis materiis, & melius est quod vnus, vel alter laicus doctus non disputet, quàm quòd disputent laici plures indocti, & leges attendere debent ad ea, quæ communiter accidere solent. Confirmarique potest, quia hæc Ecclesiastica aliquid de nouo prohibuit: laicus autem indoctus iam erat iure nature prohibitus, ergo comprehenditur etiam doctus: alioquin non oportuit explicare laicos, sed indoctos: nam æquè clericis, ac laici indocti prohibiti sunt saltem quoad culpam.

Tertiò quaeri potest, an saltem iubentibus clericis possit laicus disputare. Affirmant Suarez ubi supra num. 11. in fine, & Castro Palao n. 7. quod probant ex S. Leone episc. 62. c. ultimo dicente: *laici præter eos, qui sunt Domini sacerdotes, nulli sibi curius docendi & prædicandi audeat vendicare, siue sit monachus laicus qui alicuius scientia nomine gloriatur: & ex 6. synodo can. 64. Trullano, ubi laicus prohibetur, ne sibi vendicat publicè docendi auctoritatem, & clarius videtur haberi in Concil. Carthagin. 4. cap. 98. his verbis: Laicus presentibus clericis, nisi ipsi iubentibus, docere non audeat.* Hæc tamen loca nimium vel parum probant. Nam S. Leo solis sacerdotibus permittit propria auctoritate docere: cum tamen Suarez, permittat etiam Diaconis, & alijs clericis disputare. Deinde Canon Trullanus solum prohibet laico publicè propria auctoritate docere, quare priuata disputatio non esset illi prohibita, quod tamen Suarez, & alij non concedunt. Denique in Concil. Cathag. solum prohibetur laicus docere presentibus clericis, nisi eorum iussu: quare clericis non presentibus possit facere: quod etiam Suarez non concedit. Non possumus ergo ex illis locis colligere facultatem, qua laici clericorum iussu disputare possint: sicut nec possumus eam colligere, vt possint in priuato, vel absentibus clericis id facere, & sicut non possumus colligere prohibitionem disputandi pro Diaconis, & alijs, qui sacerdotes non sunt.

Merito ergo Hurtado ubi supra §. 24. arguit sententiam illam inconsequentem, quatenus agnoscit prohibitionem extendi ad laicos etiam doctos, & aliunde concedit posse id facere iubentibus clericis: nam lex postrema hoc prohibens contenta in dicto cap. 1. §. inhihemus: sicut non exceptit laicum doctum, sic etiam non exceptit laicum iussu à clericis: si ergo laicus doctus non potest disputare, nec etiam poterit iussu à clericis, cum nullibi reperitur concessa clericis hæc potestas permittendi laicis disputationem cum hæreticis. Non est ergo in hoc puncto standum decretis antiquioribus quatenus derogata videtur hoc decreto posteriori, siue illa lenior hoc sint, siue magis stricta.

Quartò quaeri potest, an hæc prohibitiōe comprehendatur laicus fidelis disputans de rebus fidei cum alio fideli. Affirmat Sanchez ubi supra num. 9. quia formalis disputatio prohibita laicis est omnis illa, quæ ad fidei veritatem confirmandam, & suadendam suscipitur: qualis etiam est, quæ hæreticorum argumenta adducit, vt veritatem fidei iis solutis confirmet. Id tamen negant

Hurtado

Hurtado §. 21. & Castro Palao num. 5. qui adducit Caltrum lib. 1. de iusta hereticorum punitione cap. 19. fauente Coninch num. 146. dicens prohiberi solum disputationem susceptam ad conuincendos eos, qui in fide errant, & Suarez ubi supra num. 1. dicens, non prohiberi disputationem quæ non suscipitur contra hereticos, sed inter fideles fit, quia illa non est formalis disputatio de fide. Et quidem non video, quomodo aut in quo possit P. Sanchez ab hac sententia dissidere, cum ipse ibidem dicat, non prohiberi nisi disputationem formalem, quæ non est, nisi quando persuadendi causa suscipitur, non verò quando fit exercitij gratia, vel ingenij acuminis ostendendi. Si enim disputatio fit inter Catholicos, nihil de fidei veritate dubitantes, aut formidantes, necesse est, quod vel fiat solum exercitij gratia, vel certe si ordinatur ad conuincendum & persuadendum non fit ad persuadendam fidem sed modum probandi, aut rationem aliquam, circa quam possit esse contentio, & diuersitas opinionum: quod tamen, ut diximus, non est de fide disputare, sed de rationibus, aut modo illam defendendi, quæ disputatio non videtur prohibita in illo derero, sed sola disputatio de fide.

142 Duplex limitatio opponi communiter solet huic prohibitioni. Prima est necessitas, v. g. si nullo præfente clerico, qui fidei partes tueri possit, hereticus cum iniuria, vel præiudicio eiusdem fidei loqueretur, eamque improbarer: tunc enim si adesset laicus doctus, posset, imò & plerumque teneretur fidem defendere, ut os obstrueret heretici: ita Aragon. & Valentia, quos affert, & sequitur Sanchez num. 7. Suarez num. 11. Coninch num. 147. Castro Palao num. 6. Hurtado §. 23. qui nomine necessitatis dicunt intelligi etiam magnam fidei utilitatem, quam quidem lex illa impedire non intendit. Secunda limitatio est pro regionibus, & provinciis, in quibus heretici grassantur, ubi per contrarium vltum derogatum esse huic prohibitioni, testatur Valentia in præfenti disp. 1. quæst. 10. punct. 4. cuius testimonio fidem adhibent Sanchez dicto num. 7. Suarez num. 11. in fine, Castro Palao num. 8. Hurtado §. 22. & Coninch num. 148.

Secunda limitatio.

143 Iuxta doctrinam huius sectionis, responderi poterat ad id, quod ante biennium quæsitum fuit an scilicet posset, consentiente saltem summo Pontifice, in provincia quadam fieri conuentus Ecclesiasticus in quo Principis iussu conuenerent etiam schismatici, seu heretici illius Provincia simul cum Prælati Catholicis, ad disputandum de religione, & stabiliendam concordiam inter ipsos. Dixi enim primò, non debere vllò modo permitti synodum, ad quam schismatici vel heretici, aut eorum Prælati conuenerent etiam ut iudices, & cum iure suffragij: cum hoc iure omnino careant, nec debeant comparere ut iudices, sed ut rei, vel certe ut à veris Prælati instruuntur & reducantur. Secundò non esse conuocandos Prælatos Ecclesiæ ad hunc conuentum à Principe seculari, ad quem hoc munus non spectat, sed benigne inuitandos, & petendam summi Pontificis facultatem, ut possint ea de causa à propriis Ecclesiis abesse: schismaticos verò posse à Principe cogi, ut vocati à Prælati Catholicis veniant ad reddendam rationem sui erroris, ut ita corrigi, & conuinci possint. Qui effectus cum non aliter, nisi hac via sperari posset, ut dicebatur, videbatur posse Pontificem consensum præ-

Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

stare ad hunc conuentum potius, quam synodum, faciendum: non quidem ad examinandas res fidei, aut de illis decernendum, sed ad conferendum eorum cum schismaticis, eosque conuincendos; videbantur enim concurrere conditiones supra requisitæ ad licitam disputationem reddendam: disputaturi quippe erant non laici, sed Prælati Ecclesiæ, & alij sacerdotes Theologi, & docti, & hoc cum hominibus ut plurimum indoctis, & imperitis, qui facile conuinci possunt, præsertim ostensis eorum libris à suis Ministris euidenter falsificatis ad eos decipiendos: quare spes erat, quod eorum multi reducerentur ad Ecclesiam. Item disputandum erat non coram plebe, sed coram viris doctis: & hac ipsa occasione Catholici simplices magis confirmarentur in vera fide, quam à suis Prælati scirent ita gloriosè defendi, nec posse ab aduersariis oppugnari. Cauendum tamen, ne pacta aut concordia ibi cum hereticis fieri possent, saltem nisi sciente, & consentiente summo Pontifice, & multo minùs, ne dogmata de religione decernantur, sed solum ut dogmata à Conciliis generalibus stabilita, & doctrina Romanæ Ecclesiæ defendatur & aberrantes ad eam regulam reducantur. Quia tamen re maturè examinata, compertum fuit, non concurrere conditiones illas requisitas, licentia meritò denegata fuit.

Agere solent aliqui hoc loco de communicatione licita, vel illicita cum infidelibus, dando illis res indifferentes, quibus ipsi ad falsos ritus sacrilegè vtuntur, v. g. an dari possit Iudæo agnus, quem vult ad sacrificium Iudaicum, vel ethnico idolum, quod perit ad illud colendum & sic de aliis. Quod tamen propriè spectat ad tractatum de scandalo, cum sit quæstio generalis de danda, vel non danda re aliqua ab usuro. Videri autem interim possunt Sanchez lib. 1. in Decal. capite 7. Coninch in præfenti disput. 18. dub. 13. & alij Recentiores, quos congerit Diana p. 5. tract. 7. de scandalo resol. 6. & 36.

DISPUTATIO XXIII.

De pœnis spiritualibus hereticorum.

SECTIO I. De excommunicatione hereticis imposta.

- II. De actione externa requisita ad constituendum hereticum externum. & incurrendam excommunicationem.
- III. De absolutione ab hæresi, & excommunicatione ob hæresim contracta.



In duplici genere sunt hereticorum pœnæ: quædam sunt spirituales, quædam temporales, vel etiam corporales. Nunc agimus de solis spiritualibus, quarum notitia magis necessaria est Theologis, quia magis spectant ad forum internum; nam temporales, & corporales ferè pertinent ad forum externum, in quo per Canonistas examinantur, & mandantur executioni. Nomine autem hereticorum, in ordine ad pœnas intelliguntur etiam Pagani, Mahometani, Iudæi,

HHh

&c